



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 4. An Legatum relictum Titiae famulæ, si cum uxore Rosalia habitaverit,
amittatur, Rosalia uxore, ad secunda vota transeunte?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

crimine occulto, quod probari potest.

2. c. 6. n. 16. Castropal. t. 16. d. 2. p. 8. n. 13. Sanch. in Dec. l. 5. c. 5. n. 22. & alii.

Ex eodem fundamento affirmat Suarez cum aliis *t. 4. tr. 9. l. 1. c. 11.* non peccare occultè corruptam petendo admitti in S. aliquem Ordinem inter virgines, (nisi fortè per specialem constitutionem talis Ordinis excluderetur non virgo etiam occulta.) Rationem dat; quia viduæ, vel non virgines nullo jure prohibentur admitti, potestque talis occultè corrupta se gerere pro tali, qualis publicè, & in communi æstimatione habetur: imò juxta eundem *D. n. 9. Less. V. consecratio cas. 3.* & alios, posse etiam, siquidem res sit & maneat occulta, acceptare velum professionis, & consecrationis, uti virgines solent. Idque etiam sine interventu mendacii, etsi in formula consecrationis dicatur virgo; quia unusquisque censetur loqui in eo foro, in quo operatur: ergo cum sit virgo in foro externo, & publicè pro virgine habeatur, poterit publicè, & in actu fori externi nominari talis, qualis in communi hominum opinione, & foro externo habetur.

An autem ejusmodi occultè corrupta inhabilis sit ad officium Abbatissæ, vel Priorissæ? affirmant aliqui; sed contrarium probabilius tenent Suarez *t. 4. tr. 8. l.*

Ad 4. Q. An legatum Titiaæ famulae relictum à Testatore, si cum uxore Rosalia habitaverit, eidem debeatur, Rosalia vidua ad secundas nuptias transeunte? R. affirmativè cum Sanch. *l. 7. D. 91. n. 52.* Palao. *D. 4. p. 13. §. 7. n. 29.* aliisque ab his citt. etiam si famula cum Rosalia non commoretur. Ratio est; quia Testator intendit eo legato obligare legatarium, ut quantum in se est, cum uxore habitet: at transeunte ipsa ad secundas nuptias cessat esse Testatoris uxor, & reputatur uxor respectu Testatoris, & legatarii, ac si mortua esset, *l. ult. C. de bon. mat.* ergo quamvis legatarius non commoretur cum illa, non est illi culpæ tribuendum, cum non stet per legatarium non famulari uxori Testatoris, censeturque conditio jam impleta; Atque adeò non est, cur legatum amitti debeat, sicut pluribus probat Simon de Pretis *de interpret. ult. volunt. l. 1. interp. l. circa legata dub. 10.*

Ad 5. Q. An legatum pro pauperibus relictum magis indigentibus applicari debeat? R. negativè cum Thom. Sanch. & aliis *l. 4. consil. moral. cap. 1. n. 60.* Ratio est; tum quia nequit ostendi, ex quo capite executor legati

Z 2

oblige-

obligetur ad eam distributionem faciendam, si id testator non expressit; tum quia magis pauperes non habent majus jus præ aliis pauperibus, ut sibi potius, quam aliis legatum applicetur; tum quia cum difficile admodum sit indagare, & rescire, quinam pauperes magis, quinam minus indigeant, non est censendus testator eam obligationem voluisse imponere executori legati, alias id expressisset.

Porrò legata facta in subsidium pauperum ordinariè distribuenda sunt pauperibus illius loci, in quo testator domicilium habebat, & habitabat, sicut cum compluribus notant Lugo *D. 24. §. II.* & Sanch. *l. c. n. 1.* & colligitur ex *leg. si quis ad declinandum, Cod. de Episc. & Cleric.* quia ea censetur esse mens testatoris, nisi aliud aliunde constat.

